



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XIII. De Scientia conditionata, seu media.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

CAPUT XIII.

De Scientia conditionata, seu media.

RESOLUTIO I. *Juxta Scripturam sacram admittenda est in Deo scientia conditionata.* } PROBATUR. Nam ex Scriptura certum est Deum cognoscere futura sub conditione, seu quæ forent si aliqua poneretur conditio, hoc enim perspicuum est ex *1. Reg. 21.* Ubi duo futura conditionata fuerunt divinitus Davidi revelata, nempe quod si maneret in Ceyla, Saül descensurus esset ad evertendam urbem; & quod si Saül descenderet, Ceylitæ tradituri eum essent in manus illius: neutrum autem ex illis absolute evenit, quia defuit conditio, nimirum quia David non mansit in Ceyla: idem patet ex *Matth. 11.* Ubi Christus testatur Tyrios & Sydoneos acturos fuisse pœnitentiam, si coram illis ea miracula edidisset, quæ in Iudæa patraverat; hæc autem cognitio non nisi ad scientiam conditionatam seu mediam spectare potest, præsertim cum sit certissima, & de ipso eventu futuro.

Neque refert quod Thomistæ dicunt, debere supponi decretum aliquod efficax actu in Deo existens, cujus vi cognoscat futura sub conditione, atque ita hanc cognitionem non spectare ad scientiam illam conditionatam, seu mediam, de qua agimus, sed ad scientiam liberam. Nam si hæc evasio haberet locum, talia decreta concipienda essent in Deo, volo efficaciter ut Ceylitæ tradant Davidem, si Saül ad eos descenderit. Volo Tyrios physicè prædeterminare ad conversionem, si Christus apud illos miracula ediderit: at hoc modo Deus esset causa peccati, & libertatem tolleret; cum impossibile sit eum non peccare, quem Deus vult efficaciter impellere ad actum peccati: eumque non agere, quem ad agendum prædeterminat; sic etiam redderetur prorsus inutilis ratiocinatio Christi, cum Iudæi respondere possint, non mirum esse quod Tyrii in

D

dicta

dicta occasione essent convertendi: quia accepturi erant auxilia quædam ineluctabilia quibus ipsi carebant.

RESOLUTIO II. *Scientia conditionata Augustino aliisque Patribus est valde cōsentanea.*] PROBATUR I. Nam Paganis & hæreticis quærentibus, cur Deus creaverit Angelos & homines quos sciebat peccaturos, Patres non respondent talem scientiam nō esse in Deo, sed eâ admissâ, docent, in ea suspiciendam esse bonitatē Dei, quòd etsi prævideat aliquos malos futuros, non propterea definit eos creare, eisque auxilia sufficiētia, quibus salvari possint (si velint) largiri.

Neque dicas testimonia illa debere intelligi de scientia peccati Angelorum & hominum, ut absolute futuri, nam talis scientia supponit decretum constitutum creandi Angelos & homines; scientia verò de qua loquuntur Patres, ratione præcedit tale decretum, per illam enim videt Deus, quid facient Angeli & homines si eos creare velit, adeoque est de futuro conditionato.

Confirmatur, nam alioqui si quæstio fuisset proposita eo sensu, cur Deus sciens absolute Angelos & homines peccaturos, voluerit illos creare, facile responderi poterat, quia id nō noverat nisi post decretum eos creandi, quod propter immutabilitatem suam revocare non poterat: nec opus erat recurrere ad rationem superius allatam, aliasve similes.

Probat 2. Nam Patres frequenter docent, Deum aliquos vocare quando novit eos consensuros; aliis verò ex justo iudicio denegare eam vocationem, cui responderent si iis daretur: at illa scientia haud dubie est conditionata, qua Deus antequam statuatur aliquem vocare, certò novit eum cōsensurum, si hoc vel illo auxilio præveniatur, secus si alio modo vocetur.

Nota ab Augustino & Prospero non rarò reprehendi Semipelagianos, non quòd scientiam conditionatam in Deo admitterent, sed quia stultè existimabant, Deum hominibus præmia aut poenas ab æter-

no præ-

no præparasse, & in tempore conferre pro bonis aut malis operibus, quæ juxta scientiam Dei eliciti erant, non absolutè, sed ex hypothesi quod diutiùs vixissent.

RESOLUTIO III. *Scientia conditionata est ad mentem S. Thomæ.*] PROBATUR 1. Nam 1. p. q. 23. art. 5. ad 1. Dicendum, inquit, quod usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis ut dictum est: Quibus verbis supponit, Deum antequam statuatur alicui conferre gratiam, certò scire num bene ea usus sit, necne, si illi detur, quæ sanè scientia est futuri sub conditione.

Deinde ejusdem 1. p. q. 92. art. 1. cum sibi S. Doct. 3. loco objecisset, occasiones peccatorum esse amputandas, atque aded Deum non debuisse creare mulierem quam sciebat (utique per scientiam conditionatam) futuram homini in occasionem peccati, si crearetur. Respondet, non quidem negando talem scientiam fuisse in Deo, sed eâ admittens, ostendendo illam non debuisse impedire creationem mulieris, eò quòd non debet commune bonum tolli, ut vitetur malum particulare. Quod si recurras ad decretum præexistens, jam ponis in Deo hanc voluntatem, non minus ab illius bonitate, quam à mente S. Doctoris alienam, volo efficaciter ut mulier sit homini in occasionem peccati.

Nota scientiam conditionatam communiter ad alterum ex vulgaribus membris sciendiæ divinæ reduci; cum enim habeat independentiam à decreto libero in Deo existente, ut sic, à nonnullis refertur ad scientiam naturalem, alii verò propter libertatem objecti cogniti, quod potuit non esse futurum, eam comprehendunt sub scientia libera, & ita à S. Thoma sub altero ex his membris comprehendi potuit. Verùm cum futurum sub conditione sit veluti quid medium inter possibile, & absolutè futurum, nihil vetat majoris distinctionis gratiâ, scientiam conditionatam

natam veluti mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis constituere.

RESOLUTIO IV. *Si rationem consulamus, scientia conditionata seu media ponenda est in Deo.*] PROBATUR, nam scientia Dei non esset unde quaque perfecta, nisi omne verum attingeret, at non attingeret omne verum, nisi versaretur circa futura conditionata, cum hæc non minus vera sint quàm quæ absolute futura sunt, imò priùs secundum rationem futurum contingens sit verum conditionatè, quàm absolute. Nam si verum est quod Petrus positus in talibus circumstantiis peccat, sane antequam in iis esset positus, aut ponendus, verum erat, quod si in iis poneretur, peccaret; tale autem conditionatum est proprium objectum scientiæ conditionatæ, seu mediæ; quare haud dubiè talis scientia in Deo ponenda est.

Neque refert quod dicunt Thomistæ, nihil esse futurum sive absolute, sive sub conditione, nisi dependenter à decreto Dei; hoc enim aliquo sensu verum est, & alio falsum; nam in primis si agatur de decreto physicè prædeterminante, quale ab ipsis admittitur, falsissimum est quod futurum contingens tale decretum supponat; cum physica prædeterminatio contingentiam & libertatem excludat, *ut cap. 18.* dicitur; si autem agatur de decreto concurrenti cum voluntate, eique tribuendi quicquid necessarium est ad agendum, verum est quod ex parte Dei tale decretum requiritur, ut contingens sit futurum, sed cum discrimine; nam ut res aliqua sit absolute futura, necesse est quod tale decretum absolute sit in Deo; si verò sit tantum futura sub conditione, sufficit quod si talis poneretur conditio, ex vi decreti divini quod tunc esset, tribuerentur voluntati auxilia necessaria ad agendum.

Notat. Per scientiam conditionatam enervari quidem gratiam illam efficacem, cui vis physicè prædeterminandi voluntatem tribuitur, non tamen illam
cui

cui Concil. Tridentinum statuit voluntatem posse dissentire si velit; quin potius ut talis gratia omnimodam firmitatem habeat, ea debet inniti scientiæ conditionatæ, qua videt Deus illam effectum habituram, etsi eo carere possit.

Nota 2. Prædestinationem propriè non fieri dependenter ab operibus sub conditione prævisis, tanquam à ratione motiva; quia etsi Deus sine ejusmodi præscientia, nequeat aliquem prædestinare, ea tamen non est causa cur aliquis prædestinetur, ut patet exemplo Tyrionum, qui prædestinati non sunt, etsi Deus certò sciret, eos poenitentiam fuisse acturos, si his aut illis auxiliis prævenirentur.

RESOLUTIO V. *Scientia conditionata ponenda est in Deo, non modo speculative, sed etiam practice.*

PRIOR PARS PROBATUR. Nam scientiam conditionatam esse in Deo speculative, id nihil aliud est, quàm Deum vere & certo cognoscere quid, verbi causa, faceret Petrus si eum vellet creare, & ponere in his aut illis circumstantiis minime prædeterminantibus: at ejusmodi cognitionem reperiri in Deo ex hæcenus dictis satis demonstratum relinquitur.

Posterior pars suadetur, quia scientiam aliquam esse in Deo practice, seu quoad usum, nihil aliud est quàm Deum ejusmodi scientiâ tanquam prævia luce dirigi ad statuenda sua decreta; atqui ea fere omnia quæ superioribus resolutionibus allata sunt, perspicue ostendere videntur, Deum hoc modo scientiâ conditionatâ dirigi, in providentia spectante ad homines, ut consideranti patebit: ergo talis scientia est in Deo etiam practice, seu quoad usum. *Confirmatur*, quia cogitari non potest, quòd Deus prudenter statuat decreto efficaci, aliquem salvare per media repudiabilia, nisi dirigatur scientiâ conditionatâ distante, ejusmodi media bonum exitum habitura, si dentur: alias enim decretum Dei manifesto frustrationis periculo expositum esset: quis autem dubitet

quin Deo tribuendum sit, quicquid spectat ad perfectissimam providentiam?

Dices Deum cognoscendo vim mediorum, & proportionem quam singula habent cum voluntate, certo scire quamnam ex illis sint effectum habitura, eaque per ejusmodi scientiam, quæ est naturalis, applicare ad obtinendum effectum. Verum hoc facile rejicitur, tum quia à nobis concipi nequit, quomodo Deus certissime cognoscat effectum futurum, in causa ad utrumlibet indeterminata: tum quia cum scientia Dei sit infallibilis, illud omne necesse est evenire, quod Deus ex cognitione causarum certo eventurum prævidit: at quamnam erit illa necessitas, qua necesse erit futurum illud contingens evenire, quod Deus ex cognitione causarum certo eventurum prænovit? non sane consequens, quia nullo modo supponet actum, etiam sub conditione prævisum, ergo antecedens, adeoque libertati repugnans. Quare concludo, ut certitudo decretorum Dei recte concilietur cum libertate arbitrii, necessario esse recurrendum ad scientiam conditionatam, seu mediam. Vide plura hac de re in suavi Concordia *disp.* 4. per totam.

CAPUT XIV.

De voluntate Dei.

RESOLUTIO I. *In Deo est voluntas.*] PROBATUR; tum ex Scriptura *Psal.* 113. Omnia quæcunque voluit fecit *Rom.* 9. Voluntati ejus quis resistet? tum quia Deus est intellectu præditus, ergo & voluntate: Sequela patet, nam appetitus sequitur formam, naturalis naturalem, sensitivus sensitivam, & rationalis rationalem, ut nimirum quælibet res possit appetere bonum sibi conveniens: Deus ergo appetitu rationali, seu voluntate præditus est: præsertim cum hæc sit perfectio simpliciter simplex, supremo & perfectissimo enti apprimè consentanea & necessaria.

Nota 1.